

† **R. P. Iosephus Pickartz (1867-1934)**

(Prov. Germ. Inf.)

Die 23 Martii 1934 Provinciae Germaniae Inferioris morte ereptus est sodalis, quem omnes propter affabilitatem amabant, magni ob regularem observantiam aestimabant, admirabanturque invincibilis in Deum confidentiae causa: R. P. Iosephus Pickartz.

Ad paucos usque dies ante obitum valetudo eius inconcussa videbatur. A parentibus enim suis in praedio Pickartzhof (prope Jülich Rhenaniae) optimam substantiam hereditariam in nativitate sua die 27 Sept. 1867

acceperat, neque unquam vere aegrotus vitae suae tempore fuerat. Firmae valetudinis testis erat, praeter faciem rotundam, fortissimus pulcherque sonus vocis, qua libentissime semper ad laudem Dei in sacro ministerio utebatur. Cantionibus piis vel laetis saepe etiam confratres et amicos delectare solebat.

Iosephum nostrum, hilarem tredicem annorum puerum, pater Vaalsium in iuvenatum nostrum comitatus est, unum ex illis septendecim iuvenistis, a quibus iuvenatus Provinciae Germaniae Inferioris die 2 Maii 1880 initium sumpsit. Et cum Iosephus iam inferiores classes gymnasii in oppidulo Linnich absolvisset, quatuor tantum annos iuvenista Vaalsensis fuit, usque ad a. 1884 quo anno Epternaci veste St. Alfonsi indutus est. Ibidem quoque vota religiosa nuncupavit die 15 Oct. 1885.

Postquam anno 1892 Luxemburgi ordinationem sacerdotalem recepit, Vaalsium revertit, in dilecto iuvenatu laboraturus ad annum usque 1904, et quidem initio Lector, inde ab a. 1898

vero (tunc vix annos natus 31) Rector et Director. Ex eius discipulis unus fuit eius frater Hubertus, qui adhuc in sinu Congregationis vivit. Ex hoc tempore praesertim notanda est *Syntaxis Latina*, secundum methodum praeclaram Emmanuelis Alvarez S. I. et hodiernae philologiae effata, una cum collega, R. P. Nicolao Speicher¹, «ad usum scholarum Germanicarum accommodata». Quae *Syntaxis* (ed. I 1901, ed. II 1906) ultra viginti annos praecipuum manuale fuit ad linguam Latinam in iuvenatu nostro edocendam, et adhuc suum pretium conservat.



¹ De eo cfr. *Analecta* IX (1930), 177-180.

Postea confrater defunctus diversis domibus adscriptus est usque ad annum 1929: domui Glanerbrück qua Superior, domibus Trier et Geistingen ut Rector, aliis domibus ut Minister et Consultor et missionarius. Viginti quinque annos P. Pickartz ita extra domum Vaals laboraverat, cum anno 1929 eo rediit, munus plane novum aggressurus, scilicet instruendi primum in Congregatione iuvenatum « sero-vocatorum » (*Spätberufe* = *vocations tardives*), et singulari zelo huic muneri sese dicavit usque ad mortem.

Quantam molem laborum, in honorem Dei et salutem animarum immortalium et speciatim ad iuvenes informandos susceptorum, hi quadraginta duo anni actionis sacerdotalis et Redemptoristicae comprehendunt! Secundum indicem, in qua ipse diligenter omnes labores apostolicos enumeravit, P. Pickartz 175 missionibus interfuit, 281 cursus exercitiorum spiritualium, praesertim pro religiosis utriusque sexus, dedit et 43 alios maiores labores, octavas, tridua, alios. Non est sermo hic de diebus recessus, vulgo *Einkehrtage*, nec de multis auxiliis praestitis vel contionibus particularibus. Plurimos eiusmodi labores suscepit ex domo nostra Trevirensi illis decem annis, quibus, aetate florens, huic domui adscriptus erat.

Difficile dictu est, quae eius vitae pars ceteris laboriosior et fructuosior fuerit. Quod ad curas temporales attinet, illae primis sui magistratus annis Vaalsii peractis (1898-1904) tolerabiliores fuisse videntur. Sed de hoc temporis spatio P. Pickartz postea saepe commemorabat, quam parum ut Rector et iuvenatus Director viribus suis corporalibus parcere potuerit, et rarissime ante mediam noctem quieti se dare sibi licuisse. Tum quidem ex fonte profundissimo sanitatis haurire poterat. Vovebat igitur sese omnibus viribus illi duplici muneri. Finis, qui eius animo observabatur, erat iuvenatum ita paulatim perficere, ut vocationes inde exspectandae sufficerent magnae illi regioni Provinciae Germaniae Inferioris patenti, quem finem saltem partim attingit. Cuius rei testes sunt numerus iuvenistarum, qui eo moderatore crevit a 57 usque ad 82, novum sacellum iuvenistarum et amplificatio haud parva aedium.

Multo laboriosiores quoad res ad victum necessarias erant anni ultimi Vaalsenses. P. Pickartz, cum exeunte anno 1928 a Superioribus rogatus esset ad iuvenatum Sero-Vocatorum condendum, hoc grande opus, ut pro animi eius indole non aliter exspectandum erat, statim alacriter fortiterque aggressus est. Finem plane novum intendens, sine mora cooperatores, subsidia discipulosque colligere studebat. Kalendis mensis Maii a. 1929 cum duobus Lectoribus et 12 primis Sero-Vocatis scholam novam in iisdem aedibus aperuit, quae olim iuvenatui unico Provinciae inservierant. Dedicatum est novum institutum primo illi Sero-Vocato Congregationis Transalpinae, S. Clementi M. Hofbauer.

Sequentibus annis crescebat numerus iuvenum in 20, 30, 40, 50 fere. Quomodo P. Pickartz opes ad hoc necessarias corrogabat temporibus difficillimis, quando ipsius Provinciae Procurator ei succurrere vix, ac ne vix quidem, poterat? Id erat secretum firmissimae eius in Deum et sanctum Ioseph fiduciae, necnon indefessi eius calami, quo innumeras epistulas scribebat liberalibus hominibus, sibi notis vel ignotis, ut iuvenatui, sive semel sive certis temporum spatiis, pecunia opitularentur. Plurimis enim Sero-Vocatis propterea praesertim studiis se dedere in pueritia non licuerat, quod opes necessariae deerant. P. Pickartz in hac re tantum profecit orationibus et epistulis suis, ut non modo institutum S. Clementis condere et conservare, sed etiam summam non tam exiguam deponere potuerit pro tempore inopiae. Quod tempus revera nunc adest, cum lege vetitum est maiorem pecuniae summam trans fines Germaniae in terram alienam portare. Quare iuvenatus Vaalsensis etiam nunc, post Deum, optimo Patri Pickartz debet, « quod non est consumptus » magnis illis tempestatibus, quibus Provincia nostra ultimo tempore concussa est.

Artem suam educandi P. Pickartz totam ponebat in exemplo et amore. Discipulis suis cotidie vivum exemplum dabat pii sacerdotis et religiosi observantiam amantis. Animo erga alumnus suos tam benevolo et fiduciae pleno erat, ut ei difficillimum esset quemcumque, ut ad vitam religiosam inutilem, domum remittere. Quandocumque ostium cellae eius pulsabas, semper benigne suscipiebaris.

Pecunia tanto labore collecta ad sumptus necessarios et utiles magna largitate erogabatur. Interrogatus, quomodo aerarium iuvenatus se haberet, saepe respondebat: « Mirum est; nescio, quomodo eveniat: S. Joseph nostri curam habere non desinit ». Faciebat P. Pickartz, quod tempore inopiae faciendum est: orationem coniungebat cum sedulo labore. Notum erat eius dictum: « Hominibus divitibus nulla re maiori usui eris quam eorum sacculos nummis refertos fortiter pulsando, ut benefaciendo caelum promereantur ». Nemo ex illis divitibus tutus erat a supplicationis eius impetu, et multos ignotos sibi reddere sciebat notos. Immo quondam petitionem pecuniariam direxit ad divitem illum Sinensem Lopahong, quamquam sine successu.

Ne malis eventibus animus eius concuteretur, impediēbat iam natura omnino optimistica. Naturalem hunc optimismum perfecerat fide magna et perseveranti oratione. Quod testantur eius libelli memoriales, in quibus omnibus diebus menstrui secessus pauca verba notare consueverat. Ad ultimum usque diem recollectionis his libellis commendavit, quidquid laeti vel mali vitae eius spirituali acciderat. Ex his notis etiam saepe elucet, quanto amore Congregationem nostram semper prosecutus sit, gaudens de omnibus eius progressibus in quibuscumque regionibus mundi

notatis. Laetitia quasi pueruli commemorat omnem etiam parvum successum, v. g. quoad numerum Patrum vel Fratrum vel domuum Congregationis.

Quinque fere annos P. Pickartz in ultima sua statione ut conditor et moderator iuvenatus Sero-Vocatorum sic perseveravit. Quamquam proprie aegrotus nunquam fuerat, tamen ultimis annis saepe querebatur se noctu somnum capere non posse; mane inde ab hora tertia vel quarta plerumque non iam dormiebat; etiam post meridiem raro ei contingebat dormire. Attamen viribus suis nullo modo parcebat, saepiusque dicebat se laboribus valetudinem conservaturum esse. Qua de causa semper libentissime tradebat cursus exercitiorum spiritualium tempore feriarum. Ita etiam ultimum cursum pro Sororibus a Paupere Infante Iesu in Simpelveld. Acciderat autem brevi ante casus adversus. Cum aliquando sub vesperum in horto ad cellam telephonicam curreret, cadens caput vehementer offendit ad crepidinem aquarii. Omnibus confratribus suadentibus, ut sub his circumstantiis Sororum exercitiis renuntiaret, tamen capite obligato exercitia quinque dierum dedit. Die onomastico suo, festo S. Ioseph, ab hoc laborioso opere reversus (centum enim Sorores participaverant), insolite fatigatum se sensit. Tamen per diem fortiter se sustinuit, et diversis sollemnitatibus, quas iuvenistae in honorem dilecti sui Directoris praeparaverant, consueta sua comitate interfuit. Postero vero die, cum mane scalas descenderet, apoplexia correptus est. Frater laicus fortuito praeteriens eum collapsum invenit et reduxit in cellam.

Tres dies tum graviter decumbebat, in perfecta patientia exspectans aequo animo, quid sancta Dei voluntas de se constitueret. Sacramentis ultimis magna devotione receptis loqui non iam poterat. Sed mens eius usque ad ultimum fere momentum clara permansit. Imprimis hoc apparuit, cum die ante obitum, omnibus suis discipulis, singulis manum praebens, subridens valediceret. Etiam ipso die obitus, licet magna siti cruciaretur, noluit omnino aliquid liquidi sumere ante sacram communionem. Confratribus astantibus et orantibus placidissime obdormivit in Domino die 23 Martii 1934, paulum ante meridiem.

Nuntio tristi omnes amici et noti longe lateque valde commoti sunt, sicut frequens visitatio corporis emortui permultaeque litterae consolatoriae, etiam nonnullorum Episcoporum, demonstrabant. — Pulcherrimae tandem exequiae celebratae sunt, quibus permulti fideles magnusque numerus sacerdotum et religiosorum interfuerunt. Quiescit nunc carissimus noster P. Iosephus Pickartz in coemeterio nostro Vaalsensi inter tot confratres, qui eum praecesserunt cum signo fidei in sinu Congregationis. Dormiat in somno pacis!